



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Quies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

QUIES. CAP. V.

Quantum vero pertinet ad fessum, fessus, ut Jamblichus ad Prophyrium scribit, quietis indicium esse videtur, de quo plura inter arbores disseruimus, ubi Deum in lato sedentem ab antiquis, idque ex Nafamionum instituto, pingi solitum, & qua causa declaravimus. In æquinoctiis vero illa utriusque temporis æque dimensi paritas, quietis cujusdam indicium haberi potest, cum nihil subsultet, quod alterutram partem inquietet; utraque vero firma stabilisque in æquilibrio conquiescat.

LITERÆ. CAP. VI.

Literas quoque per Cynocephali simulacrum intelligebant Aegyptii: quia quoddam eorum genus eas calle-
Bre existimabant, seque illis ob literarum cognitionem cognatos esse. Simulac enim Cynocephalus in templum ductus erat, eorum ritu educandus colendusque, sacerdos illi albiolum, calamum & sepiam apponebat, exploraturus an ex genere esset quod in cultum recipi deberet: quippe si quid scribendo cognationem suam approbasset, ea de causa Mercurio sacer erat, qui literarum omnium author habebatur. Ex quo jam credere possumus, Simiam olim latrunculis ludere didicisse, & Elephantum literarum Græcarum doctum in pulvere scriptitasse, Muremque, quod pro comperto Albertus ponit, in conviviis candela discumbentibus prætenta, daduchi ministerium præstitisse. Mira hæc fortasse videantur iis, qui sententiam Anaxagoræ probant, animalia omnia ab homine rationem habere duntaxat activam, passivam autem, ut ita dicam, & tanquam mentem quamque mentis interpretem dicunt, numquam habere. Sed enim & Pythagoras & Plato asserere videntur rationis participes animas esse, ut eorum animantium, quæ vulgo rationis expertia vocentur, tamen ratione non utantur, tum propter incongruam ineptamque corporum compaginem, tum vero quod discedendi facultate careant, ut in Simiis, & id genus aliis humani cujuscunque fere operis imitatricibus est cernere. Quinimo Diogenes his etiam intelligentiæ aerisque participatum impertit, quæ ut magis minusve sint humanæ figuræ similia, ita magis minusve intelligant. E converso autem, ut apud Aristotelem & Physio-

Plin. lib. 8.
c. 54.

Mus in consilio.

Cognomios alios habetur, ita mores in humana perpendimus natura, prout effigies, ipsaque corporis species ad brutorum aliquod refertur: utpote A sinina labia crassa quippe prominentiaque, tarditatem & stuporem ingenii, Caninas maxillas iracundiam simul & fidelitatem, hispidam angustamque frontem, quippe Suillam, impuritatem morum, indocilitatemque hominis indicare: atque ita fere singulis in articulis, ingenium nostrum ad brutorum similitudinem explorari. Pari-
Dgitur ratione Cynocephali, Simiarumque genus omne, quorum bona pars mira quadam similitudine faciem humanam, pedes autem & manus omnino referunt humano itidem sensui & operationi, artibusque propinquiora sunt, & propemodum intelligere nobiscum pariter judicantur. Non præteribo hic, quod ad hanc pertinet similitudinem, quod Galenus in aggressionibus Anatomicis ait, se multas Simias & Cynocephalos dissecasse, si humani corporis copia non affuisset, miramque in iis similitudinem cum humano corpore deprehendisse: quare Ennius recte admodum scribit:

Simia quam similis brutissima bestia nobis.

Sed esto similitudo hæc ingenii causa: Quid hi super Elephante dicturi sunt, quo quid brutum magis, & ab humana figura diversius? Ei tamen beluæ esse quandam cum genere humano societatem, M. Tullius in Epistolis, ex confirmata hominum opinione, non negat.

Per brutorum aliquam, hominum mores significantur.

Epistola ad Marium.

UNDE